

## DE CONFESSIÖNE IN ITINERE AERIO

Quaestio non poterat agitari ante inventionem navium aeriarum, quoniam nec dubium surgere poterat deficiente et ignorato medio aërio, at subiecta materia omnino similis est alteri itineris maritimi, et quia de hac exstat lex (1), omnia quae valent pro ipsa possunt eadem ratione alteri applicari. Haec autem extensio non a quocumque legislatore ecclesiastico, sed a suprema auctoritate concedi potest. Cum itinera aëria cotidie frequentiora fiant, necessitati et utilitati fidelium erat subveniendum, quod "Motu Proprio"—"Animarum studio"—, Pii Pp. XII, f. r. die 16 dec. 1947, at promulgato die 28 ianuarii 1948, factum est, quo eadem facultas audiendi confessiones sacerdotibus iter maritimum arripientibus a can 883 concessa, extenditur, sub iisdem condicionibus, sacerdotibus, aërium iter arripientibus. Pro commoditate legentium referimus totum documentum pontificium:

### MOTU PROPRIO

*De facultate audiendi confessiones sacerdotibus aërium iter arripientibus concedenda.*

### PIUS PP. XII

Animarum studio compulsi, cum huic Apostolicae Sedi nonnulli significarunt locorum Ordinarii opportunum esse praescripta can. 883 C. I. C. circa facultatem audiendi confessiones sacerdotibus maritimum iter arripientibus factam, ad aëria extendere itinera, Nos, plane noscentes huiusmodi itinera inpraesentiarum cotidie frequentiora evadere ac volentes ut christifideles haud desit commodum quod e laudate Ordinariorum desiderio animarum proveniret sanctificationi, magna cum animi nostri oblectatione, de Apostolicae potestatis plenitudine, statuimus ac decernimus ut quae can. 883 C. I. C. de facultate excipiendi confessiones sanciantur pro sacerdotibus maritimum iter habentibus, valeant atque extendantur, consentaneis quidem clausulis, ad sacerdotes iter aërium facientes.

Quae per Apostolicas has Nostras Litteras decrevimus motu proprio datas, firma ac valida in perpetuum manere praecipimus, contrariis quibuslibet minime obstantibus, ac praeterea iubemus ut ea vigere incipiant simul ac eadem praesentes Nostrae Apostolicae Litterae in Commentario officiali Acta Apostolicae Sedis nuncupato insertae fuerint.

(1) Can. 883.